



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De adiuratione Diaboli 57

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

dilecti Filii sui rursus sanctificasse, posteaquam propter peccata nostra maledictioni subiecta fuerant. Adhac Patrem per Dominum nostrum Iesum Christum semper ex animo inuocare debent; ut ipsis largiri velit, quo gratuitam eius benedictionem, quam dilectus Filius eius per mortem suam nobis acquisiuit, in omnibus rebus sentire ac percipere queant.

Et hoc debent Christiani in usu omnium rerum, non salis tantum praestare. In eo vero nullus est exorcismus, quod aduersarij probare frustra in se receperunt.

Porrò quod aduersarij eodem in loco scribunt, Ecclesiam ab initio credidisse, quod Creaturæ per benedictionem purifcentur, & virtutem adipiscantur inseruendi nobis ad salutem per fidem, id pleniori explicacione opus habet. Deus operatur omnia in omnibus, siveque creaturis virtutis prout vult, vel ad puniendos vel iuuandos homines: ipsiusque est omnis virtus, per quam creaturæ nobis salutiferæ sunt.

Quod autem per verba Benedictionis noua quedam vis creaturis indatur, que in ipsis maneat ac perduret, de eo quemadmodum nullum habetur ex verbo Dei testimonium, cui soli Christiani fidem habent, ita nec veteres Ecclesiæ quicquam crediderunt.

Iam vero quantum pertinet ad usum salis adiurati, nempe quod in os baptizandi immittitur, manifestum est, eam consuetudinem non esse vetustam. Eius enim nec Tertullianus, nec Dionysius meminerunt. Significatio bona est, videlicet quod Christus Dominus in sacramento Baptismi det suis Spiritum ac sapientiam Crucis, & mortificationem veteris Adami, per quam homo à putredine malarum cupidatum preseruetur, perinde ut alias carnes à putrefactione ministerio ac virtute salis conseruari solent.

Verum quinam plus utilitatis & ædificationis significatione ista adferunt, num qui solum ac nudum signum missionis salis in os Baptizandi apud Baptismum, sine uilla ipsius explicatione coram paucis quibusdam hominibus usurpat, an vero iij qui signum quidem pretermittunt, significationem autem apud Baptismum coram tota Ecclesia Christi, semper ex S. scriptura claris ac perspicuis rationibus, summâque cum religione declarant & inculcant?

Quarta pars.

De Adiuratione diaboli.

C A P . L V I I .

QVARTA accusatio est de Exorcismo diaboli, qui ex infantibus eiurari debeat, quodque in libro Reformationis Exorcismus Catechismo postpositus sit,

M 2

Exorcismi, quibus potestas Satanæ à Baptizandis eiuratur, antiquæ consuetudinis & obseruationis sunt. Verum tamen est, quod nullum habemus à Christo Domino nostro de illis mandatum, neque etiam à S. Apostolis. Ac verisimile quidem est, hunc Exorcismum, & diaboli ex Baptizandis eiurationem etiam esse non mandatam operis Apostolorum imitationem, qui eius, sicut præceptum, ita etiam potestatem habuerunt, quorum vtrumque iamdudum apud nos desit.

Hoc quidem verum est, quod omnes qui Christo Domino nondum incorporati sunt, sint sub potestate diaboli, à qua solus Dominus nos liberat & redimit. Quando autem Deum per Dominum nostrum Iesum Christum super infantes nostros inuocamus, ut eos ab omni potestate diaboli liberare, & in regnum filij sui transferre velit: & hoc ab eo oramus vera & solida fide, freti promissione Dei, quod noster & seminis nostri Deus & Seruator esse velit, quodque Christus Dominus dixit, *Signite pueros venire ad me, & benedixit eis: atque haec fide infantes nostros baptizamus*, tunc reuera diabolus ab eiusmodi infantibus propulsus & abatus est. Nam in S. Baptismo purgantur à peccatis, & Christo Domino nostro induuntur. Et de hoc mandatum habemus ac promissionem Dei.

Cæterum cum diabolo ipso multa loqui, ipsum adiurare, cique præcipere ut exeat ab infantibus, perinde ac si infantes à diabolo obsessi sint, quemadmodum erant hi, ē quibus Christus Dominus & Apostoli, ad hunc modum præcipiendo & adiurando, demona ciecerunt atque eiurarunt, de eo sanè neque mandatum neque promissionem habemus Domini. Et alioquin quoque satis horribiliter sonat.

Aliud nāmque est, In potestate diaboli esse propter peccatum, sicut nos omnes, proh dolor, in ea nati sumus: atque etiam omnes hi sunt, qui in spontanea peccata prolabantur: aliud vero, a diabolo obsesum esse. Cum igitur ad eos, qui à voluntariis ac grauibus peccatis absoluuntur, atque hoc modo rursus ex potestate diaboli eripiuntur, inque regnum Christi transferuntur, dici non soleat, *Exi immunde spiritus*, vel *Præcipio tibi ut ex eas ab hoc seruo Christi, &c.* quomodo quadrat, ut hoc modo super infantes dicatur? Ad hæc constar, quod homines huic non mandatae diaboli adiurationi, quam nō intelligunt, longè plus tribuerint, quam conueniat. Quare etiam propter abusum meritò prætermissa est. Liber tamen hanc rationem nō penitus omisit, sed temperauit iuxta id, quod in verbo Dei nobis mandatum & promissum est: *Et hoc omnibus Christianis facile satisfaciet.*

Iam quod aduersarij accusant Librum, propterea quod Exorcismum Catechismo postposuit, id quod Ecclesiæ aduersetur, demonstrandum illis erat, vbinam Catholica Christiana Ecclesia præceperit, ut Exorcismus antè Catechismum administretur. Dionysius nullam penitus mentionem facit de tali Exorcismo, nempe quod is qui Baptismum ministrat, diabolam à Baptizando eiurare debeat, Adhuc cuin Baptizare fit Chri-

sit Christo Domino incorporare, reuera etiam est diabolum expellere: quod opus & mandatum Dei per humananum istud figmentum cbscuratur & obtenebratur.

Causa verò propter quam Liber Reformationis Catechismum Exorcismo præposuit, est præceptum Domini, qui nobis mandauit, ut mysteria eius in Ecclesia fidelium cum intellectu & ad edificationem fidei tractemus, eorumque ignorationem & contemptum, quantum fieri potest, caueamus. Iam verò certum est, Infantes, qui ad Baptismum adferuntur, nihil eorum quæ ibi aguntur intelligere. Adhèc nullum habemus præceptum, quod aliquid ibi debeamus cū diabolo loqui. Quam ob rem debemus ex autoritate mandati diuini, omnes actiones ibi ita instituere, ut etiam presentes per eas edificantur, vera fide pro infantibus oreant, sacrūmque Baptismum infantibus vera deuotione petant, ac percipient.

Cùm igitur adhuc, proh dolo! homines propter non intellectam baptizandi consuetudinem, parum admodum de S. Baptismo sciant, Catechismus autem instructio sit, quæ tantum ad eos qui intelligunt, fieri potest, consequitur sanè, Catechismum ex autoritate verbi Dei reliquis omnibus præmittendum esse, cùmque presentes probè edocti & ad diuinam hanc actionem præparati fuerint, tum demum preces pro infantibus fundi, & Exorcismum peragi debere.

Et in hac parte rursus demonstrant Aduersarij, quod nihil aliud nisi impias contentiones ac suggillationes contra opus Christi querant. Commemorant ipsi, quanta religione, diligentia & grauitate veteres Catechismum multis diebus ante perceptionem Baptismatis, idque cum intelligentibus exercuerint. Cur igitur id non respiciunt, & grauissimè ignoracioni ac cœcitati populi subueniunt, qui adeò nihil amplius nouit de ipsis tam sublimibus maximèque necessariis mysteriis? Verum id ipsis non multum angit, de cōque nihil omnino solliciri sunt, etiamsi tota Religio Christi collaboretur ac penitus intercederet, dummodo ipsis Domino eorum, præminentia ac pompa salua & incorrupta maneret.

*Quinta & octaua pars.**De Catechismo.**C A P. L V I I I .*

QVINTA & OCTAUa Accusationes hæ sunt, Librum Reformationis præcipere, ut Catechismus non erga paruulos, sed erga parentes & sponsores servetur: quodque patrini ita profane, suōque nomine diabolo abrenuncient, & ad omnes symboli Apostolici articulos respondeant, ac si ipsi rebaptizandi essent.

Responso.

Ecce calumniam, & immeritam prorsus reprehensionem. Debet ne verbum Dei ad illos proferri, qui id non intelligunt, hoc est, vt D.

M